

# The Electronic *Manipulus florum*

[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

## Consolacio I cum uariis

Non sis miser ante tempus cum illa que uelut imminencia expauisti fortasse nunquam uentura sint, certe non uenerunt. Quedam ergo nos magis torquent quam deberent, quedam ante torquent quam debent, quedam torquent cum omnino non debeant, aut augemus dolorem aut fingimus aut preoccupamus. Si enim futurum est, quid iuuat dolori suo occurrere? Satis cito dolebis cum uenerit; interim tibi meliora promitte. Aliquando gladius ab ipsa ceruice reuocatus est, et aliquis carnifici suo superstes fuit.

---

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>):

sis] si L<sup>2</sup>; sint] serit C; quedam ante torquent quam debent *om.* (*cor. in marg. ab alia manu*) M; quedam] autem *add.* P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; fingimus] figimus C; quid iuuat] adiuuat B; fuit.] sepe enim nullis apparentibus signis qui (quae L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>) mali aliquid pronuncient (praenuncient V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>) animus sibi falsas imagines fingit aut uerbum aliquod dubie significacionis detorquet in peius aut maiorem sibi offensam proponit alicuius quam est et cogitat non quantum iratus ille sit sed quantum liceat irato. Seneca XIII. epistola (i.e. Consolacio m) *add.* P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>